35]

63

Nondum.

Sal. pl. Vir Reverende et clarissime, Frater honorande. Bina Civitatis et Ecclesiae nostrae germina, quae vides, Guilielmum Freigium, et Johannem Lavaterum: hunc meritissimi olim Ecclesiae nostrae Antistitis D. Ludovici Lavateri pronepotem; illum honestissimis quoque parentibus natum; capita nobis dilectissima, et tibi, et vener. D.D. Collegis tuis animitus commendamus. In Linguis et Artibus, et in Theologiae principiis eos fecerunt progressus, ut, fundamentis domi feliciter iactis, apud exteros, favente propitio Numine, superstruere possint doctrinae arcem non contemnendam. In vestram igitur fidem ut benigne eos recipiatis, studia illorum promoveatis, et φιλαδελφίας cum Ecclesiis nostris testificandae gratia, ad Synaxin sacram admittatis, vehementer rogamus. Vobis nostra vicissim studia et officia pro virili praestanda lubentissime deferimus, Deum supplices veneramur, ut Academiam vestram omni benedictionis genere perpetim cumulare ne dedignetur. Datae Tiguri 9. Martij 1645.

Nominis tui observantiss.
Ecclesiae Scholaeque Tigurinae
Pastores et Professores,
Et horum omnium
nomine
Joh. Jacobus Breit-
ingerus, Ecclesiae
Tigurinae Minist-
er.

Reverendo et Clarissimo
Viro D. Ioh. Coccio, S. Theo
logiæ Doctori, et in Acade-
mia Franequerana Pro-
fessori celeberrimo, Fratri
honorando.

Franequeram.